

*Si benedicenda sit tantum officina libraria, omittitur secunda Oratio cum aspersione pro instrumentis et machinis. Quando autem benedicenda sint solummodo instrumenta vel machine, præmissis versiculis « Adjutorium nostrum, etc. » et « Dominus vobiscum, etc. », adhibetur tantum secunda Oratio cum aspersione.*

### DECRETUM

Sodalitas, cui nomen *Unione Tipografico-Cattolica Libraria* et finis est progressus sive incrementum curare, tum morale tum ipsius artis atque industriæ typographicæ et librariæ, una cum religionis studio et fraterna sodalium communi-  
one mutuaque ope præstanda, sapienter æque rata est, Deum ac Dominum Jesum Officinæ libris edendis aut venditandis propitium reddere atque invocare. Ita enim fiet ut ejusmodi ars atque industria civili Societati in remedium cedat, ac tutamen contra omnigena errorum et inimicorum jacula: ita fiet, ut spiritu scientiæ, sapientiæ ac timoris Domini repleantur Officinæ tum præsides et rectores, tum operarii; ne quidquam edendum in perniciem ac malum vertat, sed ad salutem humani generis atque utilitatem conferat. Itaque ad supernum auxilium sibi præcipue comparandum, eadem sodalitas de officinæ librariæ et machinamenti typographici Benedictione proprias aptasque ritui formulas adhibendas, ac postea Rituali Romano inserendas, sacrorum Rituum Congregationis examini, atque Apostolicæ Sedis supremæ sanctioni humillime subjecit.

Quare, ad juris tramitem, quum Eminentissimus et Reverendissimus Dnus Cardinalis Sebastianus Martinelli eidem sacro Cœtui Præfectus et Relator, in ordinariis comitiis sub-signata die ad Vaticanum habitis, ejusmodi Benedictionis ritusque formulas proposuerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, re diligenter perpensa, rescribendum censuerunt: *Pro gratia*, die 4 maii 1909.

Demum, revisione rite peracta, hisce omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papæ X ab infrascripto eodem Cardinali Præfecto relatis, Sanctitas Sua sententiam ipsius sacri Consilii ratam habuit, et ritum ac formulam Benedictionis officinæ librariæ et machinæ typographicæ, prout huic præjacet decreto,